



Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

13. Quis qualisque fuerit S. Egbertus Willibrordi emissor? An fuerit Episcopus siue Archiepiscopus & quidem Eboracensis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

Quis qualisve fuerit S. Egbertus Willibrordi emissor?
An fuerit Episcopus siue Archiepiscopus &
quidem Eboracensis?

Fuisse Episcopum, probatur primò. quia Beda vocat illum Reuerendissimum. Secundo, Alcuinus vocat Episcopum. Tertio, Marcellinus S. Willibrordi emissionem illam enarrans, intitulat illum Archiepiscopum Eboracensem. Textum illum plures sequuntur. Quarto, vidi in insigni Parochiali Ecclesia S. Willibrordo dicata Altare egregio opere cælato, in quo Egbertus mittens pingitur ornamentis Episcopalibus & subscribitur Episcopus. Quintò, quomodo aliàs potuisset Egbertus illos mittere ad prædicandum? hoc enim solum Pontifici & Episcopis competit.

Vt hæc difficultas, si modo difficultas sit, tollatur, placet S. Egbertum Willibrordi directorem delineare, idque verbis diui Bedæ.

Anno Domini Incarnationis 664. erant multi nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum qui tempore Finani & Colmani Episcoporum, relicta patria insula, Britannia videlicet, vel diuine lætationis, vel continentioris vite gratiâ in Hiberniam secesserant, & quidam quidem mox se monastica conversationi fideliter mancipauerunt, alij magis circumeundo per cellas magistrorû lætioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scoti libentissimè suscipientes, victum eis quotidianû sine pretio, libros quoq; ad legendum & magisterium gratuitum præbere curabant. Erant inter hos duo Iuuenes magnæ indolis de nobilibus Anglorum Edelhun & Egbert, quorum prior frater fuit Edelhun viri equè Deo dilecti, qui & ipse æuo sequenti Hiberniam gratiâ legendi adiit, & bene instructus in patriam redijt atq; Episcopus in prouincia Lindisse factus, multo Ecclesiam tempore nobilissimè

lissimè rexit. Hi ergo cum essent in Monasterio ; quod lingua Scoto-
 rum Rathmalfigi appellatur , & omnes socij ipsorum vel mortalitate
 de saeculo rapti, vel per alia essent loca dispersi, correpti sunt ambo mor-
 bo eiusdem mortalitatis & grauisime afflicti. è quibus Egbert, sicut
 quidam mihi referebat veracissimus & veneranda canitie Presbyter,
 qui se hec ab ipso audiuisse perhibebat, cum se existimaret esse mori-
 turum, egressus est tempore matutino de cubiculo in quo infirmi qui-
 escebant, & residens solus in loco opportuna capit sedulus cogitare de
 actibus suis & compunctus memoria peccatorum suorum, faciem la-
 chrymis abluebat atq; intimo ex corde Deum precabatur ne adhuc mo-
 ri deberet, priusquam vel prateritas negligentias, quas in pueritia
 vel infantia commiserat, perfectius ex tempore castigaret, vel in bo-
 nis operibus abundantius se exerceret. Vouet etiam votum, quia adeo
 peregrinus viuere vellet, ut numquam in Insulam, in qua natus est
 id est Britanniam, rediret: quod prater solleennem canonicis temporis
 Psalmodiam (si non valetudo corporis obsteret) quotidie Psalte-
 rium totum in memoriam diuinae laudis decantaret: quod omni sep-
 timana diem cum nocte ieiunus transiret. Cumq; finitis lachrymis,
 precibus & votis domum rediret, inuenit sodalem dormientem, &
 ipse quoq; lectulum conscendens capit in quietem membra laxare, &
 cum paulum quiesceret, expergefactus sodalis respexit eum & ait:
 O frater Egberte, o quid fecisti? sperabam quia pariter ad vitam eter-
 nam intraremus. verumtamen scito quia quae postulasti accipies.
 didicerat enim per visionem & quid ille petisset, & quia petita im-
 petrasset. Quid multa? ipse Edelhun proxima nocte defunctus est.
 At verò Egbertus decussa molestia aegritudinis conualuit, ac multo
 post tempore viuens acceptum Sacerdotij gradum condignis ornauit
 actibus. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis,
 continentiae, simplicitatis, & iustitiae perfectione; unde & genti suae,
 & illis in quibus exulabat nationibus Scotorum siue Pictorum, & ex-
 emplo viuendi & instantia docendi & autoritate corripiendi & pi-
 etate largiendi de his quae à diuitibus acceperat, multum profuit.

Hæc Beda lib. 3, Histor. Anglic. cap. 27.

Anno

Anno 716. Dum vigeret in Britannia longum schisma de seruando Paschate, quibusdam contra consuetum Ecclesia Romana morem illud celebrantibus, inter quos erant Monachi Scotica nationis qui Insulam Hiu incolebant, venit ad eos de Hibernia Deo amabilis & cum omni honorificentia nominandus Pater ac Sacerdos Egbertus, honorifice ab eis & multo cum gaudio susceptus. Qui quoniam & Doctor suavissimus, & eorum que agenda docebat, executor erat deuotissimus, libenter auditus est ab vniuersis. Immutauit pijs ac sedulis exhortationibus inveteratam illam traditionem parentum eorum, de quibus Apostolicum illum licet proferre sermonem, Quod emulationem Dei habebant, sed non secundum scientiam, Catholicosq; illos atq; Apostolico more celebrationem praeipua solemnitate sub figura corona perpetua agere perdocuit.

Susceperunt autem Huienses Monachi docente Egberto ritus viuendi Catholicos sub Abbate Duumbado post annos circiter octuaginta, ex quo ad praedicandum genti Anglorum Aidanum miserunt Antistitem. Mansit autem vir Domini Egbertus annos 13. in praefata insula, quam ipse velut noua quadam relucente gratia Ecclesiasticae societatis & pacis Christo consecrauerat. Annoq; Incarnationis Dominicae 729. quo Pascha Dominicum octauo Kalendarum Maiarum die celebrabatur, cum Missarum solemnia in memoriam eiusdem Dominicae Resurrectionis celebrasset, eodem die & ipse migravit ad Dominum, ac gaudium summae festiuitatis, quod cum Fratribus, quos ad unitatis gratiam conuerterat, inchoauit, cum Domino & Apostolis ceterisq; caeli ciuibus compleuit; Imo id ipsum celebrare sine fine non desinit. Ita idem lib. 5. Historie cap. 23. Ex dictis liquet Egbertum nec Episcopum nec Archiepiscopum, multo minus Eboracensem, fuisse, vel hoc solo argumento, quod ab adolescentia semper fuerit aut in Hibernia aut in Scotia versatus, & votum de non redeundo in patriam fecerat: Eboracum autem consistat inter Anglos in prouincia Northumbrorum. Deinde Beda exactus Episcoporum Britan-

mssli

G 2

nia

eorumque ordinationum annotator, numquam de Episcopatu Egberti eiusque ordinationis vel minimam mentionem facit; quinimo continenter in Monasterijs inter Religiosos conuersatum fuisse plane eloquitur, neque vltcrius quam Presbyterum aut Sacerdotem appellat.

Ad Primum, Reuerendissimus vocatur à Beda, non ob honorem Pontificalem, sed ob virtutis & sanctitatis eminentiam, quibus toti Hiberniæ & Britanniæ erat venerabilis. Sic idem Beda lib. 5. cap. 21. Adrianum Abbatem coöperatorem Theodori Episcopi Cantuariensis Reuerendissimum vocat, quem tamen ex solo Beda constat numquam fuisse Episcopum.

Ad Secundum. Quod Alcuinus eum Episcopum intitulet, opinor textum eius ibi esse corruptum & ab aliquo incauto insertum; nisi dicamus Alcuinum nomen Episcopi latius sumere pro Inspectore, Superintendente quomodo Apostolus accipit 1. ad Timot. 3. ad Philippenses 1. Actor 20. quia instar Episcopi multorum Monasteriorum erat pater, multorum director, Instructor, ab omnibus magni habitus. Attamen quia nomen Episcopi in vitis SS. & in Historijs propriè accipitur & accipi debet, & Alcuinus aliàs in vsitato significato semper vsurpat prout denotat dignitatem Episcopalem, malo admittere textus adulterationem, quæ orta censeri potest ex confusione nominum, de qua statim. Ad 3. Historiam S. Marcellini de Swiberto, quæ est apud Surium 1. Martij, vitiatam lesamque esse res ipsa & Authores loquuntur & quidem nominatim cap. 4. quo Egbertus S. Willibrordi & Suiberti missor indigetatur Archiepiscopus Eboracensis: tempore enim adventus eorum in Frisiam nullum, nec Episcopum, nec Archiepiscopum Egbertum Eboraci sedisse, Anglicorum Historiæ nimis aperte profitentur. Pseudographiã
istam

istam aduertit D. Molanus oculatus & solidus Historiarum tractator in Natalibus Sanctorum Belgij 24. Aprilis: *Sunt autem, inquit, manifestè vitata per cuiusdam imperiti in gesta S. Switherti in quibus hæc Egberto Archiepiscopo Eboracensi tribuuntur. Siquidem is anno. 31. ultra septingentesimum factus est Eboraci Episcopus pro Wilfrido quidem, sed non illo qui Frisijs per hyemem primus predicauit: & anno demum 35. accepit pallio primus post Paulinum factus est Archiepiscopus Eboracensis.*

Multi hoc turbido fonte potantur, fateor, sed bonâ fide, sine vlla discussione, errorem non quærentes, tamen inuenientes; errorem detestantes, tamen inbibentes.

Ad 4. Picturæ, scripturæ, rythmi populares, historiæ vernaculæ, monumenta etiam publica, non rarò ex fabulis, figmentis, apocryphis efformantur, tam in prophanis (quod frequentius est) quam in sacris; quare ex ijs nihil efficaciter probatur. Eadem citata tabula exhibet Pipinum S. Willibrordi adiutorem & Mæcenatem cum corona & sceptris regalibus Regemque Franciæ inscribit, quod apertissimè falsum est, cum non ille Pipinus (qui solum fuit Maior domus, dictus Herstallus) sed eius nepos Pipinus breuis factus fuerit Rex Franciæ circa annum 752. decem vel duodecim annis post mortem Willibr. Administabat quidem Herstallus Franciam & Austrasiam potestate regiâ, numquam autem nomen Regis, coronam aut sceptrum regalia vsurpabat.

Ad 5. posset sentiri Egbertus habuisse potestatem delegatam à Pontifice Prædicatores mittendi & gentibus prædicandi (id enim Historia missionis videtur significare aut supponere) nisi obstaret venerabilis Beda referens S. Willibrordum statim post ingressum in Frisiam Romam concessisse Apostolicam benedictionem & licentiam prædicandi petiturum, quod non fecisset, nec eguisset, si ab Eg-

berto eam participasset. Quare melius ad argumentum respondetur, missionem ab Egberto peractam, imperfectam & inchoatam siue familiarem solummodo fuisse, qua destinari potest quis ad proximum erraticum instruendum. Missionem verò completam siue authoritativam id est qua ex Autoritate verbum Dei deprecarent, Sacramenta dispensarent, ligarent ac soluerent, populum regerent, à Præsule Romano S. Willibrordus suo & sodalium nomine petijt & inpetrauit; nec eam sibi præsumpsit Egbertus vir humillimus; quinimo eius impetrationem eum simul intendisse & consuluisse, mox videbimus.

DISSERTATIO XIV.

Ex quo loco siue patria S. Egbertus Willibrordum in Frisiam misit.

LEgo apud bonum Authorem B. Egbertum Eremiticam in Iona Insula vitam ducentem cum sodalibus aliquot prædicandi Euangelij causa in Germaniam trajcere constituisse, sed monitis diuinis & tempestate prohibitum, B. Wigberto nihilominus in Frisiam pergente. Ex quibus verbis prætenditur & quiuis concipiet Egbertum ex Insula Iona, prius Hiu dicta, iter in Germaniam tentasse, ac Wigbertum ex eadem eo transfretasse. Consequenter à S. Willibrordo, qui in monasterio sub disciplina Egberti poliebatur, ab eadem huc enauigatum: nam Willibrordus ab accessu ad S. Egbertum, vsque ad profectioem, eidem tredecim continuis annis ibidem adhæsisse significantissimè intimat Alcuinus, nec vllus in contrarium. Restat ergo ex Hiuensi Insula nos Willibrordum recepisse. Verum nollem id alicui,